













No 2128.





IO
GE

EX

IOHANNIS GEORGII VIBERGII ELEGIDIA.

IN ZOILVM.

Quem non edax liuor petit,
Hic omnium est miserrimus.
Famæ, sacræq; gloriæ
Oblatrat omnis inuidus.
Tabesce belle zoile
Liuore, dum tandem crepas.

VVITEBERGAE.
EX OFFICINA VITI
CREVTZER.
M. D. LII.

Quod non monstrârat doctus Apollo tibi.

AD LECTOREM.

Mortalis omnis est homo,
Et sæpè fallier potest:
Cœlestis at sapit Deus.
Mortalis ipse sum puer
Obnoxius doloribus,
Fallorq; quàm citißimè.
Ergò tenella Musula
Si lapsa sit, nec abnuo,
O parce lector inclyte.
His doctiora tibia,
Musis mihi fauentibus,
Olim sonet poëmata.

σύν θεῷ.





IOHA. GEORGIVS VI-
BERGIVS CHRISTIER-
no Torchillo Morsiano Doctori
Medicinæ celeberrimo, in Aca-
demia Haffnensi, Præceptori
suo. S. D.

TEutoniam quandò lustrarem, fistula nostra
Imparibus lusit, carmina pauca, modis.
Docte uir, & totum meritò celebrate per orbem,
Des aliquid Musæ temporis oro meæ.
Non mea uentoso procedit pectore Musa,
Turgida non alto tramite carpit iter.
Vestitu uili incedit non arte parato,
Nec grandes pleno fundit ab ore sonos.
Ornatu modico si non incedere laus est,
Præsidio poterit cultior esse tuo.
Auricomus ueluti Musas exornat Apollo,
Dum sedet in summo, clarus honore, polo.
Sic decus eximium, tua fama, & maxima uirtus,
Commendent Musam, uir uenerande, meam.
Quippè Aganippeæ, non es laus infima, turbæ.
Non es Apollineæ, gloria parua, lyræ.
Nil in odoriferis Musarum conditur hortis
Quod non monstrârat doctus Apollo tibi.

Quicquid habet tellus, & quicquid sidera celsa,
Ingenio quæris sedulus usq;, tuo.
Præstantes fuerant Podalirius, atq; Machaon,
Doctus erat Charmis, doctus & Hippocrates.
Dania te similem nunc iactat regia tellus,
Aeterni cultrix Dania chara Dei.
Ex animo lætor quod talis contigit heros,
Iudicio cuius tutior esse queo.
Te mihi præripuit Mors improba, docte Seningi,
O misero iuueni, doctor adempte mihi.
Lachrymulas nunc siste tuas mea paruula Musa,
Alterius similem reddidit ipse Deus.
Hic te, nec fallor, dulci refouebit amore,
Cum te Vibergij senserit esse sui.
Huic placuisse uiro satis est, conuitia ride
Stultorum, qui te rodere sæpe uelint.
Vir reuerende, meam placato pectore Musam
Suscipe, nam nostri pignus amoris erit.
His meliora dabo qui nunc mala carmina fundo,
Cum mihi det resonam flauus Apollo lyram.

AD D. PHILIPPVM Melanthonem.

Iam periêre niues cum tempestatibus atris,
Ventorumq; grauis cessat ubiq; furor.
Omnia nunc florent zephyri spirantibus auris,
Surgit & è pingui, seminis herba, solo.

Fructifera

Fructifera & grauidas tellus producit aristas,
Ornaturq; nouis uestibus alma Ceres.
Saltibus euehitur patulæ sub tegmine quercus
Ceruus, & in uiridi gramine dama leuis.
Et uolucres blandis concentibus æthera replent,
Summo, cantantes carmina grata, Ioui.
Leucoreæ sedes linquantur, & Albidos undæ,
Quæ nos in studijs detinuere sacris.
Mens trepidans optat uarias inuisere gentes,
Et celebris mores cernere Teutoniæ.
O Viteberga uale, doctiq; ualete sodales,
Nobis chara nimis, Nympha pudica, uale.
Gloria doctorum ualeas uenerande Melanthon,
Atq; memor nostri nominis esse uelis.
Vna trium donec mea scindat fila sororum,
Ante oculos maneas, docte Philippe, meos.
Siue argentiferæ peragrabo culmina Misnæ,
Grandia uel bibuli Saxonis ora petam,
Siue tuos cernam felix Thuringia campos,
Quæ meritò dici Gallia parua potes.
Plura loquar, uadens ad inhospita tecta Medusæ,
Hærebis menti, chare Philippe, meæ.

AD PETRVM SILENVM I. V. Licentiatum.

Qui primus stabili iunxit connubia uinclo,
Faxit coniugij sint pia cœpta tui.

Det pater omnipotens qui numine cuncta gubernat,
Vt thalami uideas pignora chara tui.
Falcifer iſte ſenex tibi triſtia multa minatur,
Dum toruè quinta cernit ab arce tibi.
Alma Venus cancri conculcans feruida dorſa,
Auxilium præbet, tu mihi crede, ſeni.
In thalamum quamuis tibi pulchra puella feratur,
Prò dolor, inuitus tu tamen orbus agas.
Hei mihi, quid prodeſt ſpecioſam ducere Nympham,
Si merces uobis nulla laboris erit.
Vt capiat fructum ſua ſemina ſpargit arator,
Suſcipit hinc lætus grande laboris onus.
Curaq́; triſtatam ſubitò premit ardua mentem,
Surgere ſi nequeat ſeminis herba ſolo.
O quantum doleat ſacra qui connubia nectit,
Si prorſus pereat dulce laboris opus.
Fide Deo, Nymphæ circundans brachia collo,
Oſcula iunge libens, nec fuge iura thori.
Nuptus amet ſponſam, dilectum ſponſa maritum.
Irrita propitio ſunt mala fata Deo.

DE M. IACOBO DE-
ionano.

Vix ſic tangebat Citharam crinitus Iopas,
Vix ita dulciſonos fecerat ipſe modos:
Non ita melliſluas uoces confingit Apollo,
Non tàm iucundos exhibet ille ſonos.

Quam

Quam noster Musis sacratus Deionanus,
Inclyta quem quondam Sotica terra tulit.
Hoc ludente uiro doctus cantabit Arion,
Et cupient Dryades continuare choros.
Hoc cantante uiro, ludet Rhodopoeius Orpheus,
Et Charites iungent carmina blanda lyræ.

IN IMAGINEM CHY-seueteri.

Nos homines miseri Cygnæa uoce canemus,
Mortales etenim mors truculenta rapit.
Tu neq; tutus eris doctißime Chyscuetere,
Quamuis te reficit Musa fauore suo.
Sed licet hoc rapiat mortis uiolentia corpus,
En, famam faciet nulla perire dies.

AD NIGELLVM.

Vt laudem rogitas fœcundo carmine Nympham,
Quæ tibi tantopere o belle Nigelle, placet.
O animal pulchrum spumoso carmine dignum,
O pulchro & lepido digna puella uiro.
O uirgo præstans, Monacho dignißima crasso,
Te solam solus Nympha Nigellus amat.
Quisque putat lepidum te non ardere Nigellum,
Fallitur, & mentem non habet ille suam.
Nam quoties madido repletur munere Bacchi,
Hæret in amplexu, blanda puella, tuo.

Causaq; cur iuuenem redames, hæc prima putanda est,
Effundit quicquid plena crumena tenet.
Vestros ergò animos dilecta pecunia iungit,
O celebri uirgo carmine digna cani.
Est iucunda satis tali substrata marito,
Non aliam cupias, belle Nigelle, tibi.

AD M. DAVIDEM CELlium Malmogium.

Nunc Sol auricomus per bis duo signa meauit,
Cum tibi sint nostra carmina scripta manu.
Non tamen interea Musis charissime Celli,
Mittebas Iambis consona uerba meis.
Num tua languentes circundant pectora curæ,
Curæ quæ prohibent scribere pauca, mihi?
Vel me contemnis, dilectos inter amicos
Qui fueram dulci iunctus amore tibi.
In te si maneant manifesti signa fauoris,
Vnquam pectoribus non abitura tuis.
Si quoq; te ueluti charum uenerabar amicum,
Digneris socio scribere pauca tuo.

AD CASSIONELLAM.

Nunc decimo nobis rediit Tithomia coniunx,
Petronius postquam mi tua scripta dedit.
Accusas nimium nunquam quod epistola nostra,
Sit tibi missa meæ testis amicitiæ.

Quid

Quid quæso accuses? fueram tibi charus amicus,
Sum nunc, perpetuò charus amicus ero.
Mittere quantumuis tibi non mea scripta uolebam,
Postquam deserui, teq; tuumq; patrem.
Non tamen ignauas Lethei fluminis undas
Gustaui, uirgo non aliena placet.
Vrbes præclaras, uidi quoq; maxima regna,
Virgineos uidi, tu mihi crede, choros.
Tu mihi crede, chori Nympharum sunt mihi uisi,
Vincere quas nequeat uel Cytherea Venus.
Cunctas excellis Nymphas mea Caßionella,
Ergò mihi dulcis Caßionella places.
A patria uestra me Misnica terra recepit,
Me tamen immemorem non sinit esse tui.
Oceano grandi ualida & prius unda peribit,
Et radijs Phœbus flumina cuncta trahet.
Vmbrosam Titan obliquo tramite noctem,
Ante feret, contrà candida Luna diem.
Quàm memori non stes dulcis mihi mente puella,
Cuius iam pridem mutuus ardor eram.
O quam te cuperem mea Caßionella uidere,
Impediunt cursum flumina multa meum.
Vana peto, satis est tantum dixisse puella,
Cum rursus scribam nuntius ales ero.
Interea mea lux, mea lux castißima uirgo,
Virtuti studeas, moribus atq; bonis.

Eſt aliquid Nympham præclaro ſtemmate natam.
At claro uirtus ſtemmate maior erit.
Ne dubita, uerè præcedit ſtemmata uirtus.
Stemmata prætereunt, temporibuſq; ruunt.
Stemmata temnuntur, poſt funera uiuida uirtus
Vires acquirens ſidera celſa petit.
Hæc tibi perpetuò ſint alta mente repoſta,
Sic potes officio ritè uacare tuo.

AD HIERONIMVM CHYſeueterum, L L. Doctorem celeberrimum.

Accipe non triſti uenientem fronte libellum,
Nuper promiſſum, uir uenerande, tibi.
Eſt fateor tenuis liber hic, ſed plurima tradit,
Quæ tractas ſtudijs non aliena tuis.
Multarum doctè pandunt myſteria legum,
Quæ tenui cernis clauſa latere libro.
Hinc ſacræ manat ueneranda ſcientia iuris,
Hinc confirmari publica iura ſolent.
Quintus Sydonias orator miſſus ad arces,
Eloquium propter, clarus honore, fuit.
Non ignorabat Decius ſanctiſſima iura,
Ingenio clarus, nobilitate potens:
In legum ſtudio tranſægit Herennius æuum,
Quem ſatis exornant ſcripta diſerta uirum.

Et

Et proceres alij quos splendor principis ornat,
Qui docuere homines iura tenere sacra.
His confirmarunt semper sua dogmata normis,
Lagnerij dederat quas benè docta manus.
Tu quoq; sacrarum cultor dignißime legum,
Hic liber exiguus perlege quicquid habet.
Hic nihil inuenies quod non delectet abundè
Diuinam mentem, Chyseuetere, tibi.
Dilige Lagnerij studium doctiq; pijq;.
Ac nostrum munus consule quæso boni,
Si mihi continget cum dulci uita salute:
Munera, crede mihi, splendidiora dabo.
Hoc tibi promisso solum te munere dono,
Quo cupio nolis immemor esse mei.

AD IACOBVM GEORgium, Fratrem.

Regna uoluptatis non obtinet inclyta uirtus,
Iactatur uarijs semper in orbe malis.
Sed tandem uictrix excelsum scandit olympum,
Et meritum summo fert diadema Ioue.
Si tibi mi frater iam sint contraria fata,
Perfer, ut aduersus singula fortis eas.
Per uarios casus tendes uirtutis ad arcem,
Gloria difficili parta labore uenit.

Ad Io-

AD IOHANNEM MAINErum & Iulianam Helleram.

Fœmellam dominus castam qui iunxit Adamo,
Det quoq; te casta uirgine posse frui.
Progignas natos pulchra cum coniuge, patrem
Qui referent forma, moribus atq; pijs.
Approperétq; tibi plenis fortuna quadrigis,
Perstet & ad uotum firma, tenaxq́; tuum.
Et pia uirgo diu felicem transige uitam,
Dulcia Cumeæ secula uatis agens.

IN ZOILVM QVENDAM.

Carmina nostra legens quid ringis peßime Mome,
Offendit nares num mea Musa tuas?
Men dubitare putas cur carpas carmina nostra,
Aut tua cur stimumlet pectora liuor iners?
In promptu causa est, nobis fauet inclyta Pallas,
Nobis Castaliam Musa ministrat aquam.
Pectora cæca tibi tundit furialis Erynnis,
Teq́; sua pellit Musa pudica domo.
Tabificum perge inuidiæ retinere uenenum,
Donec rumpantur pectora dira tibi.
Ipse tamen pergam in patriam deducere Musas,
Pergam Phœbæi tecta subire chori.
Tabificum perge inuidiæ retinere uenenum,
Donec rumpantur pectora dira tibi.

Ipse

Ipſe tamen pergam latè diffundere nomen,
Deducens blandas ex Helicone Deas.
Obſcurus maneas, maneas ſimul ἄχθος ἀρούρης,
Cum uolitet clarum nomen ad aſtra meum.

AD HIERONIMVM Chyſeueterum.

Iam Phlegetontiadas bis ter Crinitus Apollo,
Oceano ducens lumina clara tulit.
A nobis poſtquam per quendam ſcripta fuiſſent,
Miſſa decus patriæ, Chyſeuctere, tibi.
Nunc ego propterea nolo tibi ſcribere, namq;
Non dubito noſtri quin memor eſſe uelis.
Hoc ſaltem uolumus nos, & mea paruula Muſa,
Vt ducas uitam tempus in omne tuam.
Ipſe quidem dum uita mihi ſanguisq; ſuperſit,
Cantabo laudes ſemper in orbe tuas.
Poſteritas doctum tunc laudet Chyſeueterum,
Famaq; tam clarum nomen ad aſtra uehat.

INFERIAE AD TVMVLVM Marinæ matris. I. M.

Hæc tibi defunctæ mater monumenta relinquo
Filius, ingentis triſte doloris opus.
Nam ſiquidem renuunt aliud tibi munus ademptæ,
Fata, uolo luctus ſigna manere mei.

Teſtor

Testor &, acciderit mihi nil quod acerbius unquam,
Quàm cum fatidicæ te rapuere Deæ.
Attamen hoc nostræ reddit solatia menti,
Quod sis saluificum pectore fassa Deum.
Duxeris atq; piam semper sine crimine uitam,
Pro quibus attribuit cœlica regna Deus.
Hoc igitur tumulo corpus requiescit & ossa,
Ast animus cœli regna beata tenet.
O genetrix placidè posito requiesce dolore,
E somno donec te uocet ipse Deus.
Te uocet ipse Deus uasti dominator Olympi,
Qui tibi per Christum cœlica regna dabit.

ORATIO FACTA IN PEriculo maris Balthici ad Deum Opt. Max.

O pater altitonans, summi moderator Olympi,
Quid famuli preßi non memor esse uelis?
Aures quando tuæ faciles Deus alme patebunt?
Semper an auxilium, consiliumq; petam?
An me perpetuò tundant caro, Mundus, Erynnis?
Semper an insultet turba maligna mihi?
Hei mihi, quàm ualidus me comprimit undiq; fluctus,
Hei mihi quàm gelidus conterit ossa tremor.
O dilecte pater tandem succurrere presso
Digneris, lapsum tu releuare potes.

Tu potis es facilè duros auferre dolores,
Præter te nullus me releuare potest.
Eia age chare pater, digneris flectere mentem,
Sis misero turris præsidiumq; mihi.
Hos oculos sancto diffundi lumine cures,
Dirigat hoc pectus Spiritus ipse tuus.
Ad mala patrandum ne me malus incitet error,
Et peccatorem mors truculenta premat.
Qui regis æthereas mentes, mentem quoq; nostram
Dirige, ut aduersus singula fortis eat.
Fac turgere tuo nostrum spiramine pectus,
Vt uictor sæuis hostibus esse queam.
Hostes ne rabidi poßint extollere cristas,
Et miserè presso multa trophæa canant,
In te perpetuò dulcis spes fixa manebit,
Nam me mortalis non releuabit homo.
Tu pater altitonans qui sidera cuncta gubernas,
Pone tuum famulum sistere perge pedem.
Laudibus innumeris dum spiritus hos regit artus,
Pro meritis tantis te, Deus alme, canam.

AD CHRISTVM DOminum.

Cum gemitus grandes mœsto de pectore ducam,
Suscipe quas fundo, Christe benigne, preces.
Extrahe languidulas nostro de pectore curas,
Vt redeat menti, pax & amœna quies.

Flamine clarescant diuino lumina mentis,
Vt pergam uerum te coluisse Deum.
Hoc summum decus est, hæc est sapientia prima,
Hæc uirtus summa est, hoc pietatis opus.
Vt te cognoscam qui me de morte leuâras,
Virgine qui quondam es de genetrice satus.

AD DOCTOREM PEtrum Palladium.

Doctorum salue decus immortale uirorum,
Salue Palladiæ, lausq́;, decusq́; Scholæ.
Viue diu felix longa dignißime uita,
O decus, ò patriæ gloria summa tuæ.
Dignus enim Musis placidam traducere uitam
Debet, & æterna prosperitatate frui.
Te dignum Musis fecit ueneranda Minerua,
Numine te afflauit Musa benigna suo.
Et quia te semper refouet Tritonia Pallas,
Palladij meritò nobile nomen habes.
Te iuuat in studijs sectari gaudia sacra,
Gaudia per nullos interitura dies.
Cedite sanguinei uos horrida gaudia Martis.
Cedite funesti prælia Martis opus.
Cede uoluptatis genetrix & numen amorum,
Nil Musis poterit dulcius esse sacris.
Musæ sacrorum nobis dant dogmata uatum,
Monstrant Aonij numina sacra chori.

Cursus stellarum uarios, & sidera monstrant,
Exponunt summi facta stupenda Dei.
Flammarum crepitus, undarum murmura monstrant,
Quicquid & arcani machina tota tenet.
Mentes deducunt placidè ad penetralia Diuûm,
Illorumq; frui cognitione docent.
O utinam procul hinc gelidam rapiantur ad Arcton,
Quæ iacet ingenti semper operta gelu.
O utinam poßint ualida iactarier unda,
Qui spernunt Musas, Pieridumq; chorum.
Sed tu Palladi, felicem transige uitam,
Qui colis Aonij numina sacra Chori.
Qui quoq; saluifici didicisti dogmata Christi,
Quem tu syncera relligione colis.
Quid iuuat ingenuas didicisse fideliter artes,
Si Christum nescis esse salutis iter.
Qui Christum ignorat, qui Christi dogmata nescit,
Hunc nil diuinæ mentis habere puto.
Hæc pietas summa est, hæc est sapientia prima,
Vt uera Christum relligione colas.
Ipse tenens sceptrum uasto dominatur Olympo,
Numine Confirmans pectora nostra suo.
Hostes letifero consternit fulmine diros,
Hoc grassante tremens hostis ubiq; iacet.
Cum mouet ille manũ, iacet horridus, ecce, Tyrannus,
Prostratus iaceas tu sæue draco.

Sæue draco ideeas, si quicquam Ecclesia poßit,
Vt tibi prorumpat fœdus ab ore cruor.
Monstra horrenda, ingentia nobis bella mouete,
Victor erit nobis filius ipse Dei.
Ipse est in nobis, hinc pectora nostra calescunt,
Sedibus æthereis impetus ille uenit.
Pectora uestra regit satanas, hinc corda tumescunt,
Faucibus ex Barathri, proh furor iste uenit.
Qui cupit huc ueniet pugil intraturus harenam,
Si forsan Christo fortior esse uelit.
Stridorem quamuis collisis dentibus edat,
Non uictore tamen præmia digna feret.
Ipse Dei gnatus uictoris præmia palmam
Hinc solus referens, grata trophæa canet.
Nec desint homines docti, sacriq; Poëtæ.
Qui dominum celebrent laudibus innumeris.
O benè felices, ò terq; quaterq; beatos,
Qui cupiunt soli Christe placere tibi.
Dulcis amor Christi uirtuti iunctus, amorem
Cœlestem nobis conciliare solet.
Solus amor Christi nescit succumbere, sola
Est pietas uiuax, cætera mortis erunt.
Hinc te Palladi felicem dicere possum,
Quod sacræ curam relligionis habes.
Nam populo magni spargis pia dogmata Christi,
Et cunctis normam uita probata refert.

Hem

Hem quò nunc rapior? quorsum mea Musula tendis?
Fundere quid frustrà carmina blanda cupis?
Si uel doctiloquus cantu superetur Homerus
Abs te, uel clarus Palladis arte Maro.
Olim si poßis doctam superare Sibyllam,
Palladio nunquam carmina digna canas.
Quocirca, taceas iubeo mea paruula Musa,
Nil etenim crassus proderit iste labor.
Si tibi laurigerus concedat præmia Phœbus,
Et Charites blandæ, Pieridesq; Deæ.
Exerc tunc uires fundendo carmina docta,
Olim si forsan doctior esse potes.
Inclyte Palladi, quem diligit inclyta Pallas,
Vibergium charum semper habere uelis.
Tu mihi perpetuò memori sis mente repostus,
Ne pereat meriti nuntia fama tui.
Ipse tuas dulci celebrabo carmine laudes,
Quàm primum doctam donet Apollo chelyn.
Ornus producet sterilis tibi dulcia poma,
Castanei fructum fraxinus ipsa feret.
Rerum naturas uertet præposterus ordo,
Ordine peruerso cunctaq; fata trahent.
Ac mens fatidicas celerè rapietur ad umbras,
Quandò ego Palladij non meminisse uelim.
Hoc testabuntur semper mea carmina, raptim
Lusit ad Aoniam quæ mea Musa chelyn.

Hoc quoq; perpetuo flauus testabitur Albis,
Qui resonante Lyra murmura grata dedit.

AD LVCAM ANDREAM Coagium de Tabulis Physigno-micis.

Quæ prius in cumulam congeßi, parua tabella
Nunc habet, en Luca muneris istud habe.
Cur non obsequerer socio tàm iusta petenti?
Vibergius uanas num sinat esse preces?
Dij melius, Socijs non irrita uerba manebunt,
Debet & in minimis rebus adesse fides.
Vt tibi perfacilis fierem res ista coëgit,
Ergò meum munus consule quæso boni.
Ex nostra uarias mentes cognosce tabella,
Ne pereas læsus fraudibus atq; dolis.
Cernere diuersos animos, & noscere mores
Diuersos, non est ars, mihi crede, leuis.
Sæpè solent mentes hominum sub uulpe latere,
Quemq; pium reputes trux solet esse lupus.
Quippè bonus non ritè bonus, sed falsus amicus,
Sæpè struit fraudes insidiasq; bonis.
Ergò bonos nosce & falsos cognosce sodales,
Hoc erit officij, dulcis amice, tui.

AD GALLVM.

Non opus est titulos petere, aut Doctoris honores,
Vndiq; cum uestis sit lacerata tibi.

Si tibi

Si tibi sint uestes auro cum bombice textæ,
Quamuis sis stultus tu benè Doctor eris.
At licet esse potes Musis & Apolline dignus:
Si mala sit uestis, turpis asellus eris.
Sic stultus, Doctor: sic Doctor, Stultus habetur.
Nil ualet ingenium, uestis ubiq; ualet.

AD AVGVSTVM SAXOniæ Ducem.

Non sum pro meritis tibi respondere paratus,
Nam fortuna mihi munera pauca dedit.
Si fuero tandem fatis melioribus ortus,
Gratia tunc redeat, Dux uenerande, tibi.
Tu me synceró refouebas semper amore.
Et mihi præ cunctis dulce leuamen eras.
Te rursus ueneror florentibus integer annis,
Cum iuuenis uixdum bis duo lustra tero.
Et te cantabo fundendo carmina blanda,
Cum crescat nostris hispida barba genis.
Nec mihi ni moriar facies tua blanda peribit,
Cum faciem nostram ruga senilis aret.
O fortuna mihi facilis si quandò fuisti,
Des rogo me patrium posse uidere solum.
Vt patriæ dulci trepteria reddere digna
Possim, nam nostrum pectus amore fouet.
Ac simul ut nostris charis reddatur amicis
Gratia quæ tandem sidera celsa petat.

Quid dubitem? facilis fortuna reducet ad arua,
Vibergium iuuenem Danica, dante Deo.
Dante Deo possum nostros inuisere fines,
Oraq; dilecti chara uidere patris.
Pro meritis redeat tunc inclyta gratia cunctis
O dilecte Deo Dux uenerande, tibi.
Interea iubeo placidam te ducere uitam,
Coniuge cum chara, tempus in omne, tua.

IN GALLVM AESOPICVM.

Pinguia uertendo cristatus stercora gallus,
Eximiam gemmam conspicit ante pedes.
Dum lapidem uoluit, fixo pede constitit, atq;
Stultos rostrato protulit ore sonos.
O pater altitonans quid prosunt munera tanta?
Munera, crede mihi, non ego tanta peto.
Artifices tractent docti tam splendida dona,
Nam faber ad fabri munera dignus erit.
Delectent alios auro splendentia tecta,
Qui nequeunt tantis abstinuisse bonis.
Diuitias grandi cumulo sibi congerat alter,
Et gemmis cincta ueste superbus eat.
Ipse ego non cupio gemmas, non splendida tecta,
Diuitias grandes non cumulare placet.
Quippe mihi solers horum natura negauit
Vsum, quo dempto res mihi nulla placet.

Scilicet in granis est unica nostra uoluptas,
Quam grande in gemmis est posuisse nefas.
Discedant gemmæ, Iaspis, uiridisq; Smaragdus,
Cedat Sapphyrus, Sarda, Rubinus Onyx.
Nocte micans atra ualeat Carbunculus, uno
In grano nobis gratia summa iacet.
Ergò age chare pater qui numine cuncta gubernas
Et retine soli munera tanta tibi.
Si preciosa mihi donandi munera mens sit,
Languidulo uentri fercula pauca feres.
Molliter hoc ridens hæc qui spectacula uidit
Vir pietate grauis, talia dicta dedit.
Huccine processit damnanda superbia galli,
Turpiter ut possit spernere dona Iouis?
Dic cristate mihi cur splendida munera temnis?
Num gustu mentis? num ratione cares?
Has postquam nectit uoces per iurgia uates,
Aufugit subitò nuntia lucis auis.
Tunc citharæ tangens blandè resonantia fila,
Cantauit placidæ carmina mentis opus.
O Sophiæ genetrix Pallas, Iouis inclyta proles,
Ad te quis post hac ingredietur iter?
Et sacra quis cupiet Musarum scandere templa?
Nòn ne iacent magni munera spreta Iouis.
Ignauus ueluti præstantia munera gallus
Stultè contemnens paruula grana petit:

Sic nunc spreta iacet ueneranda scientia, paucos
Castalidum stimulat gloria sancta uiros.
Sordida sectantur permulti munera Bacchi,
Qui pingues poterunt euacuare scyphos.
Non paucos Veneris uexat uesana libido,
Et rapit in præceps pectora multa furor.
Magnetem ueluti sectatur ferrea massa:
Pectora sic sequitur dira libido, praua.
At tu chare puer quem casta Minerua gubernat,
Si uis Deliaci tecta subire Dei.
Inprimis fugiens luxum, Veneremq; nocentem,
Aeterni gnatum disce timere Dei.
Indè sacram scandens præclaram Palladis arcem,
Quodlibet infracto uince labore malum.
Hac ratione potes laudemq; decusq; parare,
Et uirtute tua præmia grata sequi.
Cuncta labore Deus mortali munera donat,
Difficilemq; labor pandit ad astra uiam.
Hæc cum dulcisono sociasset carmina plectro
Vates, perrexit præcipitare uiam.

IN ZOILVM.

Quid lacerare cupis me zoile dente canino?
Men' spirare putas heus inimice tibi?
Quis iustum putat esse rosas decerpere scropham,
Quandoquidem suaues non amet ista rosas?

Desine

Desine propterea nostros inuadere flores,
Cum tibi non placeant zoile, Mome, canis.
Mome, canis, serpens, pestis, Cynomya, dracoq́;,
Musca, culex, lynx, sphynx, trux & hiæna uale
φέυγετε κανθαρίδες λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει.
Non equidem uobis munera nostra patent.

AD PETRVM PARVVM Rosefontanum Poëtam & oratorem clariss:

Ingenium, pietas, charites, facundia, uirtus,
Omnia prænduntur nomine, Parue, tuo.
Magnus es arte tua, sed cur es nomine Paruus?
Magnus in arte sua non benè paruus erit.

IN SVPPILATOREM uersuum.

Heus mihi sublatos uersus Aesopica cornix,
Redde citò, aut nostro carmine coruus eris.
Parta labore uenit non furto gloria uera.
Heus cornix plumas tu mihi redde meas.

AD D. CHRISTIERNVM Pauli Priorem cœnobij chanutini dignissimum.

Nunc procul à patria peregrinis uersor in oris,
Das tamen interea munera larga mihi.

Grandia num danti tibi reddam dona uicißim?
En tibi pro magno munere reddo uale.

IN PERTVRBATORES Duos.

Scandere tentarunt regnum cœleste Gigantes,
Fulmine sed pulsi nunc Acheronta mouent.
Elatas, asini turpes, demittite cristas,
Difficile est contra cominus ire Iouem.

AD D. PETRVM PALladium.

Optime Palladi non posco munera magna,
Fortuna didici uiuere posse mea.
Viuit adhuc teneris qui me refoucbat ab annis.
Hic mihi perpetuò dulce leuamen erit.
Ah ualeat quemcunq; tenet fiducia falsa,
Qui nescit soli fidere Christe tibi.

AD MAGNVM ET CHRIStophorum Neorhodios.

Me iuuenem iuuenes præclari semper amastis.
O utinam peream uos nisi rursus amem.

AD M. NICOLAVM Ericium.

Fama uolat teneram nos exardere puellam,
Non nego, nam nobis Nympha pudica placet.

Hæc Graijs Sophia est, nobis sapientia dicta,
Perplacet inde mihi Caßionella mea.
Illa uenit tandem præduro parta labore,
Per gladios, undas, horrida saxa simul.
Ast hæc mota meo cantu, fidibusq; canoris,
In labijs ponit basia grata meis.

INFERIAE AD TVMVLVM Rascatij.

Hic iacet eximij prostratus munere Bacchi,
Rascatius bibuli portio parua chori.
Vos hunc morte sacri dura releuate bacilli,
Vt tandem quid sit perdere uina, sciat.

IN EVNDEM.

Vina parant asinos faciunt quoq; fustibus aptos.
O te felicem quem bona tanta iuuant.

AD CASSIONELLAM.

O celebris nostro uersu lætare puella,
Namq; tuum nomen iam super astra uolat.
Quid pia uirgo mihi pro tali munere reddis?
Aurum? hui nolo tali dona dari.
Basiolum teneris saltem mihi fige labellis,
Basiolo uendam carmina nostra tibi.
Basia nunc sumpsi, tibi basia reddo uicißim.
Nam precio Musas uendere nolo sacras.

IN BELCHIVM.

Per Stygium fontem, per numina sancta Deorum,
Belchius affirmat singula uerba meus.
Vera mihi dicens, dicens mendacia iurat,
Ergò tibi Belchi semper habenda fides?
Non equidem, uel si uerißima dicere posses.
O nebulo nebulo clarus es arte tua.

AD DAVIDEM DV-ringum.

Versiculos nostros, poscebas optime Dauid.
Versiculos igitur nunc tibi sume meos.
Versiculos plures fundo, nam tertius iste est.
Vt numerus crescat iam tibi quartus adest.
Vis plures uersus? en quintum suscipe, plures?
Sextus adest, satis est, his benè uiue, uale.

IN ZOILVM.

Si toto lauder mundo nunc ludicra scribens,
Seria cum scribam zoile maior ero.
Famam monne uides nostram uolitare per orbem,
Olim dante Deo sidera celsa petat.
Quid liuore miser sic expallescis edaci?
Ista uidens medius, zoile belle, crepa.

AD ADOLPHVM de Lasca.

Aurea

Aurea mala tua nobis donata sorore,
Clam mea surripuit Caßionella mihi.
Non equidem gratis sumpsit mea mala puella,
Pro septem malis basia mille dedit.

AD SABELIVM POETAM.

Virginibus nostris quid laudem docte Sabeli
Diminuis? nostræ num probitate carent?
Dania matronas pulchras habet atq; puellas,
Quales uix Dryadas, crede, fuisse puto.
Corpora quid laudem? mentes laudantur honestæ,
En, mentes ornat casta pudicitia.
Laudem propterea iustam ne detrahe nostris,
Virginibus castis lausq; decusq; uiret.
Exiguum decus est te detraxisse poëtam,
Matronis laudem, uirginibusq; probis.
Si pugnare bonis uis, infer bella Poëtis,
Gloria pugnaci maior ab hoste uenit.

AD M. GEORGIVM MARtinum Boringholmium de tabulis Chiromanticis.

Ingenuas artes coluerunt tempora prisca,
Dedecus ac ullam spernere grande fuit.
Eheu nunc studijs quicunq; incumbit honestis
Exornans animum, barbarus omnis erit.

Quærere

Quærere diuitias nunc est sapientia prima.
Scilicet egregium est hoc sapientis opus.
Inclyta fœcundo quantumuis copia cornu,
Diffundat largè maxima dona tibi.
Attamen ignauus maneas si sordida mens est,
Si tibi Castalides munera grata negent.
Stilla magis sanæ mentis mihi perplacet una,
Quam cunctæ totus quas habet orbis, opes.
Diuitijs inhient alij, studiosa iuuentus,
Artibus incumbat, nocte dieq́;, bonis.
Mentibus hinc crescit teneris sapientia uera,
Hinc quoq; diuinæ ritè parantur opes.
Sedulus ergò sacræ præclaras Palladis artes,
Suscipe, quisquis ades mi generose puer.
Ac iter ingressus mala plurima uince ferendo,
Sic te non unquam deuius error agat.
Tu quoq; docte bonis studijs incumbe Georgi,
Difficilem pergens præcipitare uiam.
Sic poteris facilè laudemq́; decusq́; parare,
Vt dignus fias posteritate coli.
Defessus nimium studio grauiore, tabellas
Euoluas manibus sedulus usq;, meas.
Quid noceat tales interdum uoluere chartas,
Si uarios mores noscere fortè uoles?
Vt uarios animos noscas memorabilis ars est.
Forsitan has nugas dixeris esse leues?

Quid

Quid pudeat tales nugas didicisse? minora
Addiscunt docti, tu mihi crede, uiri.
Hæc Arabes quondam docuerunt Aethiopesq́;,
Aethiopes summo gens benè nota Ioui.
Hæc puduit nescire duces, regesq́; potentes,
Talibus etsi nunc secula nostra carent.
Hæc quoq; matronæ cupiebant noscere castæ,
Debet amor rerum maior inesse uiris.
Turpe uirum est uirtute sua non uincere fortem,
Imbellem turbam, fœmineumq́; gregem.

DE NOBILITATE VERA

Maxima pars hominum uult nobilitarier auro,
Quæritur ast aliter nobilitatis honos.
Nobilis en nullus precioso redditur auro.
Artibus ingenuis nobilitatur homo.

AD AVGVSTVM SAXOniæ Ducem.

Quas tibi pro meritis referam Dux inclyte grates?
Qualia, quæ ue tibi, munera digna, feram?
Num tibi tale dabo fuluum quod splendet ut aurum?
Dij melius, magna est illa superstitio.
Chartea dona dabo, non hæc contemnere fas est,
In charta uili munera magna latent.
Mortalis quisquis rutilanti redditur auro
Felix, infelix rursus is esse potest.

Viuat perpetuò nullo moriturus in æuo,
Castalides Nymphæ quem celebrare uelint.
Præclarus uiuat Priamus quem doctus Homerus
Carmine cantabat laudibus innumeris.
Laudibus innumeris fortis celebratur Achilles,
Laudibus & Nestor non caret ille suis.
Patroclo iuueni nunquam sua fama peribit,
Quam tribuunt Musæ fama perire nequit.
Aeneam celebrant præstantia scripta Maronis,
Et celebrant plures scripta diserta uiros.
Quod si fata uolent olim Dux te quoq; nostra
Musa canet tangens dulcia plectra lyræ.
Plectra lyræ tangens resonæ dulcißima Musa,
Augustum uario carmine fortè canet.
Tunc te laudabunt docti, celebrentq; minores
Vt nos maiores, dum tua facta legunt.
Viue salus patriæ, sanctæ uirtutis alumnæ,
Legibus ut patriam tu tueare tuam.
Coniuge cum casta felicem transige uitam,
Sic Augustus eris nomine req; bonus.
Vt felix ualeas cura dulcißime princeps,
Et nostram Musam consule quæso boni.
Non ego pro numeris cupio mihi præmia reddi,
Sit merces uersus hos placuisse tibi.

IN MATHEMATICVM Quendam.

Quid

Quid tibi multa loquar? quid fundam grandia uerba?
Hoc solum dico, docte Mathematice.
Cui decus est animi, cœlestia sidera uincit.
Ignauos animos sidera cuncta premunt.

AD GEORGIVM IOHAN: Vibergium patrem suauissimum.

Quid studeat rogitas peregrinis gnatus in oris,
O pater, ô animi pars preciosa mei.
Artibus incumbo sub præceptore Philippo
Hic ubi Leucoreos Albidos unda uidet.
Præcipuum studium est rerum cognoscere causas.
Et sacra facundæ Palladis arma sequi.
Perlego doctiloqui præstantia scripta Platonis,
Socraticosq; iuuat uoluere sæpè libros.
Si mens languescit, studio grauiore relicto
Coniungo citharæ carmina pauca meæ.
Interdum uibrat mea dextera fortiter ensem.
Et meditor sæuis hostibus esse ferox.
Semper adest animus duros superare labores,
Ne iuueni pereant tempora grata mihi.

IN OBTRECTATOREM.

Agnum non potuit sic dilacerare leæna:
Non lupus austerus sic lacerauit ouem:
Non raptum Tygris sic carpsit dente puellum,
Non ita contriuit dentibus ossa canis:

Quippè nec Harpyas contortis unguibus unquam
  Humanas facies sic laniasse puto:
Diceris ut scelerate meam corrodere famam,
  Qua mihi nil rerum charius esse potest.
Ah malefide mihi num talia dona rependis,
  Cuius uoce, tua liber in arce manes?
Si uel tantillum tibi nobilitatis adesset:
  Non posses tanto uiuere flagitio.
In lucem diri te produxêre dracones,
  Præbuit & mammam sæua Malea tibi.
Cur igitur gratam debes ostendere mentem
  His qui te leto surripuêre graui.
Non latrina potest dulces progignere flores:
  Et non distorta gratia mente uenit.
Heus tu, si sapias saltem compesce labella,
  Et uinclis linguam stringe maligne tuam.
Quod nisi præstiteris magnas dabis improbe pœnas,
  Vt cunctis uerum sis paradigma malis.
Tunc primum discas quid sit contemnere Danum,
  Et famam quid sit carpere uelle meam.

IN EVNDEM.

Desine me crebrò Theonino carpere dente,
  Et digito linguam, uir malefide, preme.
Si non desistas petulantia fundere uerba:
  Qui generosus Equus nunc es, asellus eris.

IN LVPVM AESO-
picum.

Quondam dùm tenerum uexârat Sirius agnum,
Ingentem cupijt pellere fortè, sitim.
Propterea claras acceßit fluminis undas,
Quod uiridis Syluæ cingit utrunq; latus.
Agnus paulatim refouebat flumine membra
Languida, dùm tenero depulit ore sitim.
Nescius heu fati diri, sortisq; futuræ
In liquida blandè ludere cæpit aqua,
En, lupus ingentes de flumine sumpsit eodem
Haustus, & fauces proluit inde suas.
Dùm procul ad littus cernit sua membra fouentem
Agnum, flumineo gurgite, pacificum:
Approperat subitò permulta sophismata fingens,
Agnum quô tenerum dilaniare queat.
Proijcit ampullas, & torquet grandia uerba,
Tranquillam, dicens, quis mihi turbat aquam?
Mox geminabat idem, mihi tu quid flumina turbas?
Iam nebulo sceleris præmia digna feres.
His misero dictis quamuis mens concidit agno,
Attamen insigni diluit arte dolos.
Reprændis falsò, falsas causas quoq; signas
Commoti fluuij mi generose lupe.
Dic lupe num placidi turbem tibi fluminis undas,
Quandoquidem procul hinc fluxerit unda tibi?

Hæc quandò audiſſet, crudelia membra retorquens
Horrendos pleno protulit ore ſonos.
O nebulo quare meditaris iurgia linguæ?
Num prodeſſe tibi talia uerba putas?
Deſine uana loqui, tibi non dialectica prodeſt,
Et ratio nunquam proderit ulla tibi.
Intonuit crudele genus, lupus improbus, atq;
Sanguinei acceßit prælia Martis opus.
Diſtortis miſerum parat hoſtis faucibus agnum
Dilacerare modis, hem, miſerabilibus.
Degenerem precibus conatur flectere mentem.
Durior at ferro eſt mens tibi dire lupe.
Tu pia Nympha cauis habitans in uallibus Echo,
Languidulos querulo fundis ab ore ſonos.
Aggreditur uictum, denteſq; in pectore condit,
Cum fœdata nimis membra cruore iacent.
Dilectus pecudum paſtor cùm prælia uidit,
Ad ſocios charos talia dicta dedit.
Quamuis non rarò foueant animalia multa
Concordes mores dexteritate pia:
Monſtra tamen uiuunt quæ non concordia ſancta
Dirigit, at ſemper bella cruenta mouent.
Bella cruenta mouent illis quibus ipſe negauit
Vires altitonans, pernitioſa cohors.
Sed pater omnipotens qui regnat in æthere ſummo
Monſtrorum quandò talia bella uidet.

Tunc

Tunc celerè ex alto sua fulmina mittat olympo,
Cùm mens est contra cominus ire lupos,

IN STRABONEM INDOctum Mathematicum.

Icare non firmis quid tendis ad æthera pennis?
Quidùe rogo Phaëton munera tanta petis?
Icare si pergas puериles carpere calles,
Nunquam, crede mihi, piscibus esca sies.
Munera si spernas Phaëton stupidißime tanta,
A Iouis excelsi fulmine tutus eris.

AD AMICOS DE DISCESsu ex Misnia.

Cras ubi flammiferus surget de gurgite Titan,
Et fugient summum sidera clara polum.
Misnenses uester linquens Vibergius agros,
Quod si fata uolent, extera regna petam.
Vos igitur iuuenes refouet quos docta Minerua,
Et quibus ingenium Musa benigna dedit:
Quosq; mihi iunxit generosi principis aula
Augusti, cuius nomen ubiq; uiret:
Sol ubi decliuo descendat uertice mundi,
In cœna mecum uos simul esse uolo.
Cernetis Musas, cum docta Pallade, blandas,
Cernetis Dryadas Pieridumq; chorum.

Harrerius pressa digitis testudine doctis,
Eximias Nymphas cogat inire choros.
Nec desint iuuenes quos nutrijt inclyta Pallas,
Qui cupient agiles continuare choros.

AD M. PHILIPPVM Vagnerium.

Si quisquam uiuit nulla qui laude mouetur,
Huic nihil humanæ mentis adesse puto.
Nam ueluti radijs Phœbi surgentis Eoo,
Gaudet quæ canet roribus herba nouis:
Sic hominem quemuis cui non est cornea fibra,
Flectere permultum lausq; decusq; solet.
Non tamen ex æquo laudatur gloria quæuis.
Quæ uenit à stultis gloria nulla placet.
Quæ uenit ex celebri summorum mente uirorum
Laudatur: necnon hæc mihi sola placet.
Quocirca multum lætor dilecte Philippe,
Quod me laudâras qui probitate uales.
Nam nisi me mea mens, aut hanc præsagia fallunt,
Pro pietate tibi gratia sancta fauet,
Non tibi diuinus Phœbus non docta Minerua
Desunt, non sacro Musa fauore deest.
Persimili Danum posthac refouebis amore.
Non ero uappa leuis, non ero lippus iners.

AD SEBALDVM GANgium.

Nonne

Nónne statim dixi pauxillum te esse pudicum,
Cùm mihi erat uultus nota figura tui.
Tu me nugacem dicebas docte Sebalde,
Quantumuis dixi nil nisi uera tibi.
Non ego falsus eram, quid enim mendacia prosunt?
Quod dixi didici certius esse nihil.
In cœna à dextris residebam proximus, à te
Vestibus indutus, uirgo pudica, tuis.
Vestitus muliebris erat, sexusq; uirilis,
Qui iuuenis nunc sum, falsa puella fui.
Sic te decepi mutatus ueste puellæ,
Dum castus uelles dicier atq; probus.
Si tibi (quod dicis) pia mens & casta fuisset,
Cur mihi sæpè dabas signa supercilijs?
Cur etiam toties mihi basia plena dedisti?
Cur pedibus nostris signa dedêre pedes?
Quæ secreta meas tua lingua emisit in aures?
O magnum nimia simplicitate uirum.
Talia debebas dilectæ dicere Nymphæ,
Etsi flagrâsset pectus amore graui?
Quæ non cæcus amor cogit secreta fateri?
Quæ non ebrietas corda patere facit?
Cur es tàm subitò deliro uictus amore?
Cur tibi tàm celerè pectora torsit amor?
Harmonicas gracili dùm prompsi gutture uoces,
Intrauit pectus, dira libido, tuum.

Carmina

Carmina dum finxi pressa testudine, blanda:
Paulatim uires sumpserat ignis edax.
Quod nisi mutâssem uestes conuiuia linquens,
Mens tibi langueret uicta furore graui.
I nunc & populo stupido te finge pudicum,
Quandoquidem mens est iam tua nota mihi.
Iurgia dic nobis, & rixæ uerba ministra,
Verba tamen Dani uera manere decent.

AD CASSIONELLAM.

Per uarios populos & salsa per æquora uectus
Rursus nunc adsum, Caßionella, tibi.
Per multos casus, per multa pericula uitæ,
Multa tuli belli tædia, multa uiæ.
Numine felici superaui magna pericla,
Et redij Nymphæ saluus & incolumis.
Nunc iuuat ex animo tristes deponere curas,
Flore mihi tenerum circumeunte caput.
Heus puer huc adsis, nobis bona uina ministra,
Ex animo curas pellere tempus erit.
Tu mea Nympha, meum decus, & mea sola uoluptas,
Huc ades, & procul hinc pelle doloris onus.
Huc ades, ut læti capiamus gaudia sacra,
Gaudia quæ cuperet Iupiter ipse sibi.
Dulcibus implebo pomis, corilisq; canistrum,
Fructibus ex alijs quos meus hortus habet.

Solus

Solus odorifero placidè tibi iunctus in horto,
Affigam roseis oscula mille labris.
Ne dubita uirgo, propera mecumq; uenito,
Amplexu iuncti dulce feremus onus.
Candidior pelagi spumis, & lacte recocto,
O uirgo roseas tu mihi iunge genas.
Auricomum mihi iunge caput, mihi iunge papillas,
Pande nigros oculos, pande supercilia:
Porrige grata mihi, uirgo speciosa, labella,
Basia sume tibi, basia iunge mihi.
Vtere dum potis es concesso munere Diuûm,
Ne pereant frustrà tempora grata tibi.
Nunc te commendat diuinæ gratia formæ,
Quilibet ut meritò te putet esse Deam.
Non tamen est mansura diu præstantia formæ,
Nec maneat gratus, semper in ore, nitor.
Tempus erit quandò, nec me sententia fallet,
Vt nitidam uultum ruga senilis aret.
Stat rosa grata nimis primo spectabilis ortu,
At fugiente fugit splendida forma, die.
Aetas uirginibus teneris dùm florida durat,
Eximius roseo fulget in ore nitor.
Cùm uenerit tacitè, tardo pede, cana senectus,
Egregius pulchro migrat ab ore color.
Tunc frustrà amissum lugebunt sæpè decorem,
Tempora lugebunt sic periisse sua.

Et quoties sese speculo candente uidebunt
Dicant, hæc olim pulchra figura fuit.
Pulchra figura fuit, sed nunc contempta iacebit.
Pulchra Venus Nymphas gaudet habere nouas.

IN CHELYN.

Letiferam gaudet cùm Mars quatit impius hastam,
Bellator tractans prælia Martis opus.
Lætatur bibulam pugil intraturus harenam,
Sternere si poßit fortia membra uirûm.
Nonnulli madidam cupiunt uersare palestram,
Membraq; perualidis implicuisse toris,
Permulti canibus densos circundare saltus
Gaudent dùm prædæ noxia tela parant.
Et studijs alijs alij capiuntur alumni,
Qui cupiunt curas pellere mente graues.
Ad chordas qui non testudinis arrigit aures,
Humanæ stillam mentis habere nequit.
Blanda chelys resona, mihi basia fige puella,
Bache faue, curas frangere tempus adest,

Tristia corda chelys reficit modulamine dulci,
Nam nihil hac totus dulcius orbis habet.
Iupiter hac gaudet, Phœbus, Phœbiq; sorores.
Hac gaudent omnes Dijq;, Deæq; simul.
Hac celebris gaudet Rhetor, clarusq; poëta,
Et quibus ingenium docta Minerua dedit.

Hac delectantur regesq; ducesq; potentes,
Hac gaudet Cæsar Martis ad arma potens.
Hac Veneris pueri suauem modulantur amorem,
Hac Charites resonant ex Helicone Deæ.
Hac cuncti gaudent homines, animalia cuncta.
Hac gaudet quicquid maximus orbis habet.
Blanda chelys resona, mihi basia fige puella,
Bacche faue, curas frangere tempus adest,

Tristia languentes cui tundunt pectora curæ,
Adsit, perfacili restituatur ope,
Restituatur enim docto præbente magistro
Pharmaca, quæ mentes exhilarare solent,
Immortale decus cœli Grynæus Apollo,
Mentes cum uidit multa grauare mala.
Non satis est (dixit) membrorum tollere morbos,
Est quoq; præduris mens releuanda malis.
Corporis ingentes tollit medicina dolores,
Sic nostrum quondam prodidit ingenium.
Mellifluæ citharæ dulcißima fila medentur
Tristatæ mentis sollicitudinibus.
Blanda chelys resona, mihi basia fige puella,
Bacche faue, curas frangere tempus adest.

Quod dico flauus quondam dicebat Apollo,
Qui quoq; nunc citharæ præsidet ipse suæ.

Ergò tibi si sint obnoxia pectora curis,
Non resonæ spernas tinnula plectra lyræ.
Plectra lyræ grauium quæ sunt medicina laborum,
Quandò cura sequax tristia corda premit.
Sed digitis dulci pressa testudine doctis,
Languidulas curas attenuare decet.
O benè felices, ô terq; quaterq; beatos
Quos iuuat apposito, plectra mouere, mero.
At nimis insulsos quos ducit inertia uinctos,
Tangere ne poßint mollia plectra lyræ.
Blanda chelys resona, mihi basia fige puella,
Bacche faue, curas frangere tempus adest.

Quid stas chare puer ? tam tristis quid tibi mens est?
Huc ades, ut iungas carmina docta chely.
Si sacra Castalidum cupias conscendere templa,
Si cupias summi tecta subire Iouis.
Si cupias Veneri, Venerisq; placere puellis,
Dulcia Phœbeæ comprime fila lyræ.
Expertus dico, si tangas pollice chordas,
Eximius fias inter Hamadryadas.
Teq; petat uirgo peteret quam Iupiter ipse,
Iupiter in summo clarus honore polo.
Plura tibi secreta chelys sunt cognita, uerum
Ignauum populum non decet ista scire.
Blanda chelys resona, mihi basia fige puella,
Bacche faue, curas frangere tempus adest.

Prò

Prò lætor quoties prætento pollice neruos,
Vt mihi Castaliam Musa ministret aquam.
Lætor dulcisono coniungens carmina plectro,
Vt referat Bacchus pocula plena mihi.
Lætor dum citharæ tango resonantia fila,
Vt facilis fiat pulchra puella mihi.
Dispercam nisi te dulci complectar amore,
Quod mihi sis semper fida ministra chelys.
Docta chelys dapibus supremi grata Tonantis,
Tu mihi perpetuò dulce leuamen eris.
Viuere dum liceat cum pulchra Caßionella,
Nobiscum maneas tu quoq; blanda chelys.
Musa tace, requiesce chelys, benè uiue puella,
Bacche uale, nox est, tu mihi somne ueni.

IN M. VERANVM.

Sæpè suos nobis recitat Veranus amores,
Et dici Veneris miles in arte cupit.
Verùm tàm stultos quis non ridebit amores?
Num cupiet talem pulchra puella uirum?
Verano certè non est monstrosior alter.
Quæ tanto monstro concubuisse uelit?
Grande caput cingunt positi sine lege capilli.
Maxillas tumidas hispida barba tegit.
Torua uelut pandit furiosus lumina taurus:
Lumina Veranus sic quoq; torua gerit.

Sputum pertransit plenos rubigine dentes.
Pensilis è naso stiria sæpè cadit.
Attamen eximijs uis stulte placere puellis
Dùm profers buccis turpia uerba tuis.
Nec satis esse putas scurrilia fundere uerba,
Gestibus & stultos uincere iure potes.
Rauca uelut pastor qui cornua fortiter instat
Ori coniungit cornua curua suo:
Dulcia sic pathicæ comprændens ora puellæ,
Turpiter extorques basia plena tibi
Ah mirum misero si dulcis mater amorum
O Verane tibi gaudet adesse, Venus.
Pulchris pulchra placent, contemnunt turpia pulchri,
Pulchra Venus pulchris gaudet adesse uiris.
Desine propterea nugator, desine uelle
Prodere stultitiam turpiter ipse tuam.

AD D. HIERONIMVM Chyseueterum.

Candida cum fulget croceis aurora capillis,
Summaq; cum canet roribus herba nouis.
Per uarias lentè duxit me semita calles
Non procul à Nympha Tethyos undiuagæ:
Nympha quam Saliden ueteres dixere Poëtæ,
Quæ Musis cordi est, Aonioq; choro,

Floribus

Floribus in densis per quadrua compita corpus
Tandem composui, me uegetare uolens.
Dùm faciles subitò meditabar fundere uersus,
Exoriens Phœbus cornua clara tulit.
Astabat forti compressus ab Hercule cancer,
Qui radijs Phœbi feruidus esse solet.
Grandia mirabar pulchri miracula mundi.
Mirabar Musas, stelliferumq; polum.
Miranti uasto de summi culmine cœli,
Blandam præbebat doctus Apollo chelyn.
Deliaci capio præstantia munera uatis,
Expers quantumuis tangere plectra lyræ.
Pollice dum cupio molles prætendere neruos
Blandaq; dulcisonæ iungere uerba lyræ
Astitit à dextra iuuenis, similis Ganymedi
Qui miscet summo, pocula grata, Ioui.
Pegasides linquens, Phœbum, Phœbiq; sorores,
Quæro quod iuuenis carpere tentet iter.
Se properare refert Numburgum pulcher alumnus
Cernere quô poßit splendida castra ducum.
Tunc ego, uade puer læto omine, & i pede fausto,
Vt saluus redeas incolumisq; mihi
Chyseuetero ex me nostro dic talia uerba,
Qui modò Numburgi publica iussa facit.
Is mihi semper erit non ultimus inter amicos,
Is mihi perdulci iunctus amore fuit.

Aut citius celerem retrahet Tithonia currum,
Et uehet occiduo Lucifer axe diem.
Spiritus & tenues prius exhalabit in auras,
Et cinis extincto corpore factus ero.
Quàm non sit memori firmè mihi mente repostus,
Vel poßim tanti non memor esse uiri.
Hæc ego depicti recubans in gramine campi,
Petronio dixi, Chyseuetere, meo.
Et uerè maneat talis Vibergius olim,
Qualis erat quandò talia dicta dedit.

AD SERENISS: DANORVM regis Cancellarium, & regni Daniæ consiliarium Iohannem Frisium.

Viue per æternos Frisi feliciter annos,
Vt patriæ prosis sedulus usque, tuæ.
Gaudemus cuncti te nobis esse patronum,
Quos iuuat Aoniæ fila mouere lyræ
Frisiacam stirpem mirentur postera secla,
Si studijs pergas consuluisse sacris.

AD CASSIONELLAM.

Nil opus est horum toties mihi dicta referre,
Qui pueros flammas nos agitare ferunt.
Namq; sumus multos annos numerare parati,
Horum quæ dico tu mihi testis eris.
Aetatis medium mea si mihi uirgo relinquas,
Anni uiginti sex, mihi prouenient,

Aetatisq;

Aetatisq; meæ medium tibi uirgo uicißim
Reddens, quinq; annos ac duo lustra tenes.
Quot mihi sint anni, quot Nymphæ dicite uates,
Queîs tribuit blandam doctus Apollo lyram.
Interea nobis adsis lepidißima uirgo,
Vt signent annos, basia nostra, meos.
Signatis annis, menses signentur & horæ.
Basia signabunt millia multa, dies.
Et placeat tandem paruas signare minutas,
Immò atomos minimos basia nostra notent
Basia si quisquam cupiat numerare deinde,
Falletur quamuis sit bonus arte sua.

AD ADOLPHVM DE Lasca.

Ludere me iuuenem miraris maxime princeps,
Ense graui, ac hastam sæpè leuare manu.
Miraris densos canibus me cingere saltus,
Horridaq; incautæ mittere tela feræ.
Desine mirari, nunc uobis ista relinquo
Queîs Mauors fortis, fortia membra dedit.
Martis opus linquo, studiumq; relinquo Dianæ,
Palladis auricomæ castra beata sequar.
Me iuuat Aonidum cum Nymphis ludere in hortis,
Me iuuat apposito, tangere plectra, mero.
Nil opus est uerbis, breuiter tibi cuncta patebunt,
Virgo, chelys, pietas, pocula noster amor.

AD MVSAM.

Musa leues lusus satis est cecinisse, relinque
Nugas & risus quos ioca salsa iuuat.
Ex humili consurge loco, nec uilia canta
Vt prius, ast regum fortia facta cane.
Exprime grandiloquo uersu Mauortia bella,
Ex hac militia gloria maior adest.
Non tamen hos uersus olim cecinisse pudebit,
Interdum minimis gratia rebus adest.
Parua puer scripsi, maiora poëmata pangam,
Annis si potero fortior esse meis.
Interea placidè dulces requiescite Musæ
Grande melos donec tibia nostra sonet.
Scribere plura uetat rabiosi dæmonis ira,
Inclyta quæ rigidi Teutonis ora premit.
Terribilem dextra Mauors quatit horridus hastam,
Et tellus atro tincta cruore madet.
Non potis est pallas teneras defendere Musas,
Anguiferi quamuis Gorgonis ora gerat.
Cedite propterea Nymphæ, discedite Nymphæ.
Donec erit studijs dulcior aura sacris.
Castalides Musæ, teneræq; tacete Camœnæ.
Non blandum tristi carmen ab ore uenit.
Tu mea Musa petens, celeri pede, Danica regna
Dilecto, gnatum dic superesse, patri.

FINIS.

VT VACVAS EXPLEREMVS PAGINAS VERſus doctorum quorundam uirorum ad Iohannem Georgium ſcriptos, huc adiecimus.

SIPONTINVS GALLVS.

CVm didicit uarias noster Vibergius artes
Cur non eſt celebris mille per ora uirûm?
Non me cauſa latet, iuuenis Vibergius eſt nunc:
Maturus, fiet notus in orbe magis.

IOHANNES MAINERVS.

Perge bonis auibus, doctißime perge Iohannes
Durum Pimplei ſcandere montis iter.
Fallor ego, aut poteris Parnaßi attingere culmen,
Quodq; dat ingenijs Muſa, referre decus.
Sed me non fallit rectæ ſententia mentis:
Perge modò, & Chriſti numine clarus eris.

FRIDERICI RVSELII LL. Doctoris carmen ad optimum Adoleſcentem Ioha. Georgium.

Gallia Budeum, ac Hollandia iactat Eraſmum,
Miſnia te dicit, docte Philippe, ſuum:

Tam

Te mi Vibergi celebrabit Dania quondam,
Incolumem si te uiuere fata sinant.
Ingenio celebris, uirtute insignis alumne
Palladis ad sedes carpere perge uiam.
Eximijs patrem studijs superare labora,
Patre tuo charo ne uideare minor.
Vnicus hic, multos studijs superauit honestis,
Ac inter doctos eminet ipse uiros.
Ingenio iustos sibi conciliauit honores.
Dijs charus cunctis, principibusq; fuit.
Illius ad laudes sic te trahet æmula uirtus,
Vt quod cæpisti perficiatur iter.
Sic gnatum chari commendet fama parentis,
Dum similis cupiat filius esse patri.
Sis alacer iuuenis sacro dignißime Phœbo,
Thespiadum pergens castra beata sequi.
Cùm tua Daphnea cingantur tempora fronde,
Si fortuna uolet Cinthius alter eris.
Tales namq; canis docta testudine uersus:
Quales præclarus Cinthius ipse facit.
Cunctas rumpe moras, animo certamen honestum
Ingreditor, uates non eris exiguus.
Dij tibi concedant, longæui Nestoris annos:
Vt patriæ fias luxq; decusq; tuæ.
Dum citharæ dulces, dum carmina blanda sonabunt,
Semper erit clarum nomen in orbe tuum.

Τέλος.

Corrige.

A 3. b. uer: 20 Irrita placato. Ibidem uer: 25 melli-fluas. A 4. b. uer: 22 Tithonia. A 6. b. uer: 15 stimulet. A 8. a. uer: 2 releuare potest. Ibidem uer: 16. releuabit yomo. B 1. a. uer: ult. tu quoq; sæue. B 4. b. uer: 13 præclaræ. B 5. a. uer: 4 Musca. Ibidem sphinx. B 6. a. uer: 20 talia. B 7. a. uer: 7 Diminuis.

Reliqua cuiuis nota erunt.

